AUTHOR:

SPEIJER, J. S.

TITLE:

LANX SATURA

PLACE:

S.L.

DATE:

[1886]

Master Negative #

91-80249-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG91-B75694        Acq Maintenance  NYCG-PT
FIN ID NYCG91-B75694 - Record 1 of 1 - Record updated today
+
  ID:NYCG91-B75694    RTYP:a    ST:p    FRN:     MS:       EL:        AD:08-21-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:       UD:08-26-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:r      PD:1991/1886        REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:      OR:     POL:    DM:     RR:          COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Speijer, J. S.
  245 10   Lanx satura‡h[microform].
  260 1    [1886].
  300      30
  LDG      ORIG
  QD       08-21-91
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x2A

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9/18   INITIALS BG

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202





Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

LANX SATURA.

SCRIPSIT

J. S. SPEIJER.

ex programmate Gymnasii Amstelodamensis
anni MDCCCLXXXVI seorsum impressum.

1886.

LANX SATURA.

SCRIPSIT

J. S. SPEIJER.

Lectori Benevolo S.

Socrates ille Platonicus in Agathonis Convivio Amorem ex vero describere aggressus, Diotimae videlicet verbis daemonem nobis quendam proponit, non deum, iis quorum animum possederit miram infundentem cupiditatem et quasi appetitum honesti vel corporis vel animi. Quem amoris ardorem non eo sedari demonstrat dum sibi habeat quod quisque concupiverit, verum id agere ut in honesto illo gignat. Ceterum τῆς κατὰ τὸ σῶμα γεννήσεως, quae hominibus cum ceteris animantibus communis est, multo praestare τὴν κατὰ τὴν ψυχήν, qua veritatis atque honestatis amantes quod quisque in bonis artibus cogitando atque meditando invenerit aut in vita et usu didicerit, pudicis et candidis iuniorum animis instillent eosque instituant ad virtutem, iustitiam, pietatem, modestiam, omnia quae res publicas servent, homines meliores reddant et beatiores. Hunc Amorem multarum et bonarum artium esse parentem, ab hoc bonos inspiratos poëtas virtutis exstitisse magistros, hunc ducem secutos singulares illos viros et propemodum divinos, Lycurgos et Solones optimis legibus civitates suas donasse, hinc denique originem ducere nobile illud gloriae studium et immortalitatis, quo optimus quisque inductus breve quod natura sibi concesserit vitae spatium fama et factis in omne aevum extendere se posse speret. Sed haec et alia quae princeps et pater philosophiae magnifice atque divino fingitur effatus spiritu, apud ipsum Platonem legas, mihi des sub imagine poëtica subesse verum. Quicumque teneram aetatem bonis et liberalibus artibus instruendam suscepit animos puerorum flexibiles et quasi cereos veritatis amore pulchrique studio atque honesti imbuendo; labore patientia temperantia consuefaciendo; ad omnem humanitatem informando; multarum et utilium rerum scientia excolendo: aut nihil ille agit aut divino illo ardore, quem laudat Socrates, inspiratus est atque inflammatus. Magistrum in discipulorum mentibus modo sulcos ducere oportet, modo semina spargere, tum succrescentem segetem colere atque fovere, ab omni intemperie et pravitate defendere tuerique. Sic et rectum gignitur et genitum recte nutritur atque in communem civitatis usum adolescit. Deinde qui sive voluntate adductus seu officio obligatus eam artem docendi exercet, non is hoc tantum efficit ut aliis dux fiat ad utiliter, id est beate, vivendum, sed etiam in ipsum fructus inde optimi necessario redundant. Se ipsum enim non docere non potest, qui alios docet, et dum alteri res enarrare, dubia levare, obscura illustrare, expedire perplexa conamur, rectius quam antea de iis quae praecipimus aut

docemus iudicare incipimus. Hinc sequitur, ut qui alienis animis semina doctrinae immittere soleant, cum operam dent, ut quas res tradant dilucide eas et ordine explicent discipulorumque captui adaptent, vel ipsis disciplinis quibus praesint interdum prodesse incipiant. En tertium genus creationis, quod quidem non minus merito Ἔρωτος ἔργοις annumerare licet quam illa duo superiora.

Atque ego profecto, cum hos complures annos optimos adolescentes linguam litterasque Latinas doceam, experientia et ipse novi, quam multum haec quotidiana exercitatio proficiat ad veterum scripta rectius intelligenda totamque antiquitatem penitus perspiciendam, quamque acer sit stimulus, ut ne acquiescamus auctoritatibus, ubi a rebus non satis firmae videantur, sed potius ipsi inquiramus in res. Eiusmodi habitis inquisitionibus cum persaepe nihil addatur ad eam disciplinam in qua locum habeant, nonnumquam etiam frustra simus, interdum tamen fit, ut posse tenebrae iis dispelli videantur et verum inveniri. Inventum autem, modo diligenti investigatione meditatione multa satis probatum sit, nulla est causa cur non in medium proferatur. Sic fere et in aliis alii disciplinis quod quisque invenerit vulgare solent, et ego pro parte virili faciam, amicis obsecutus hortantibus ne prae pravo pudore elaborare supersederem et publici iuris facere ea in quibus inquirendis aliquantum temporis haud sine fructu consumpsissem. Si enim essent vera, e re esse publica litterarum eorumque qui litteris faverent ea vulgari, sin ut argumentis non satis fulta, ambigua utique aut omnino falsa convincerentur, vel errores meos aliis prodesse posse, meum certe studium cognosci. Cum vero multis et variis negotiis studiisque distractus otio perexiguo frui consuessem, non licebat omnia quae edere in animo erat, huc conferre. Libens tamen hanc arripui occasionem instaurandi veteris moris, ut iam intermortui, ita sane probandi, ut Gymnasii Amstelodamensis programmati lectionum adiiceretur dissertatio litteraria. Venia a Scholarchis viris humanissimis facile impetrata, pauca ex adversariis meis et annotationibus deprompta argumentis explicare sum conatus, quae nunc in Lance Satura tibi sum appositurus.

1. Orcus.

In recentiorum scriptis Latinis nomen Orci promiscue usurpatur, et de deo et de loco. Rem omnibus notam exemplis illustrare supervacuum est. Tum in veterum operibus interpretandis utramque significationem velut suo iure viri docti adhibent, profecto arbitrati licuisse hominibus Romanis ipsas inferorum regiones, loca nocte tacentia late, eadem appellatione nuncupare atque deum qui iis regionibus praesidet. Nota est BENTLEII coniectura, qua in loco quodam Horatii (Carm. 2, 18, 30) *rapacis Orci* lectione tralaticia leviter immutata poëtae manum sibi videtur restituisse, cum *capacis Orci* reponit Hunc impugnat PEERLKAMPIUS: „Sedes et omnia Orci et ipse Orcus (*locus*, non persona) dicitur *capax*, sed quando ingens umbrarum multitudo memoratur, sive Plutonis potentia intelligitur, qui tantum habeat imperium..... Horatius autem loquitur de uno hero, ad quem recipiendum non sane operae erat dici Orcum capacem." Defendit igitur vulgatam PEERLKAMPIUS, non quo Orci nomine umbrarum receptaculum designari posse neget, verum eo quod illa significatio ad eum, quem interpretatur, locum non quadret. Hac in re ergo dissentiunt praestantissimi critici, utrum *eo loco* Horatius deum Orcum an regionem dixerit; de vi ac significatione *ipsius vocis* nulla inter eos est controversia.

Si lexica inspicias, idem ubique invenies, Orci nomine et deum designari et regionem. Sed ambigitur, utra significatio origine prior sit. FORCELLINUS, cuius in eius modi rebus auctoritas a multis summa habetur: „*Orcus* nomen dei inferorum proprium, quod tamen saepius de ipsis inferis sive de inferorum loco usurpatur, quare et ad Lexicum pertinet;" itaque ubi varias eius vocis proprietates deinceps exponere parat, incipit a nomine dei. At contra ea GEORGES in Lexico s.v. *Orcus*: I. Der Wohnsitz der gestorbenen Menschen, die *Unterwelt*, das *Reich der Todten* (Ggstz. terra) Verg. u. A.; — II. übtr. A) der *Gott der Unterwelt*, *Pluto*, B) der *Tod*. Huic igitur Orcus proprie est regionis nota, unde per metaphoram deum nomen accepisse statuit. [1])

Et de d e o quidem O r c o satis constat. Saepe in litterarum monumentis memoratur, sive receptor mortuorum, in cuius tristem domum omnibus aliquando est commigrandum, sive exactor inexorabilis, qui messem sibi debitam tempore suo metit aut hostilem in modum in homines facit impetum, raptos secum aufert. Orco res divina fiebat, Orci in Urbe aedes erat sacra, [2]) Orcum invocabant quos vitae taederet quive mori cuperent. Tum hoc tenendum est, non fuisse Orcum unum ex iis dis quos tamquam minorum gentium appellare licet, verum maximos inter et potentissimos esse habitum. Varro Orcum dis selectis annumerat, quorum nomina descripta habes apud

---

1) Similiter nostras ENGELBREGT: O r c u s I de onderwereld, het doodenrijk, II de god der onderwereld, Pluto.

2) Lamprid. Heliogab. 1, 6: dictus est ..... Heliogabalus a sacerdotio dei Heliogabali cui templum Romae in eo loco constituit, in quo prius aedes Orci fuit.

Augustinum (de civ. Dei VII, 2) [1]). Denique Orcus idem est atque Dis pater, quem Graeco nomine Plutonem appellant, ut omnium semper consensu existimabatur. Dissidet tamen unus et is cuius auctoritas in re mythologica merito magni fit, Prellerus. Is in enchiridio, quod de mythologia composuit Romana, diserte duos ferales deos inter se diversos videtur statuisse. „Von den beiden männlichen Todesgöttern scheint Orcus den populären Glauben am meisten beschäftigt zu haben; wenigstens wird er bei Dichtern und populären Veranlassungen weit häufiger genannt als Dis Pater" (*Röm. Myth.* II, p. 62 ed. secundae quam curavit ampliavit Jordan). In eodem libro paulo inferius, postquam de Orci vi et attributionibus disseruit, his verbis concludit: „Mithin scheint Orcus für den eigentlichen vollziehenden Gott des Todes gegolten zu haben, Dis Pater oder Ditis Pater dagegen für den Fürsten der Unterwelt im Sinne der griechischen Vorstellung, also auch für den Gemahl der Proserpina." Non sic loquitur qui duobus nominibus numen unum designari arbitretur. Jordan autem cum taceat cum Prellero consentire videtur.

Ceterum illos errare, contraque Ditem patrem eundem esse atque Orcum haud difficile est demonstratu. Prellero et Jordano duobus hominibus doctis aetatis nostrae duos homines Romanos non minus doctos illorum quoque iudicio satis idoneos oppono testes, Varronem et Ciceronem. Illius enim profecto auctoritate nisus Augustinus in cap. 23 libri septimi eius operis quod scripsit *de civitate Dei* — in quo libro totus pendet a Varrone — Orcum *fratrem* dicit *Iovis atque Neptuni, quem Ditem patrem vocant.* [2]) Huius autem testimonium praeclarum inest in quarta oratione actionis in Verrem secundae. In describendis locis, ubi Proserpinam Pluto, ex terrae hiatu cum repente provenisset, rapuisse fertur, quam speluncam Hennenses peregrinis ostendere solebant, Cicero cum his verbis usus esset „qua *Ditem patrem* ferunt repente cum curru exstitisse" (§ 107), paulo post, cum Verris sacrilegium, quod Hennae commisit, increpat atque indignatur, „hic dolor, ait, erat tantus, ut alter *Orcus* venisse Hennam et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur." Numcui in dubio esse potest, quin Ciceroni una dei obversetur persona, licet duobus eum appellet nominibus Orcum et Ditem patrem? Quid vero quod alio loco (N. D. 3, 17, 43) Orcum fratrem Iovis et Neptuni expressis verbis dicit? Neque aliter Vergilium existimasse patet ex loco Aeneidos (IV, 693 sqq). Dido luctatur cum morte,

> nam quia nec fato merita nec morte peribat,
> sed misera ante diem subitoque accensa furore,
> nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
> abstulerat Stygioque caput damnaverat *Orco*.

1) Viginti nominat, duodecim mares: Ianum, Iovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem; feminas octo: Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Minervam, Venerem, Vestam.

2) Exstat etiam testimonium ipsius Varronis in libris de L. L. (5, 66), sed locus, in quo reperitur, admodum corruptus est. Hoc saltem liquido eum scripsisse constat: »idem Dis pater . . . . . . Orcus dictus." Quod hic sufficit.

Eius miserita Iuno Irim demittit in terras, quae crinem moribundae resecet. Quod cum facit dea roscida, haec verba addit:

> hunc ego *Diti*
> sacrum iussa fero teque isto corpore solvo.

Quodsi quis contra disputet, Graecos hic deos laudari non Latinos, fierique potuisse, cum duobus Graeci uterentur nominibus quibus unum significarent regem inferorum Αΐδην sive Πλούτωνα, Romani autem utramque appellationem domesticis vocabulis reddere vellent, ut duo numina antiquitus diversa, Orcus et Dis miscerentur et quasi in unum confluerent: ista sententia nullo firmo nititur fundamento. Qui enim sic statuit: ego existimo Ciceronis quidem et Varronis tempore viros eruditos errore ductos deum Orcum eundem arbitratos esse atque Ditem patrem, ceterum ea numina olim diversa fuisse: *si nihil praeterea addiderit*, quo probari possit, diversitatem et antea fuisse et tunc consenuisse, nihil ille dicit. Sed neque consenuit neque umquam videtur fuisse. Etenim, si fuit, ante Ciceronis aetatem fuerit necesse est, quoniam Ciceroni quidem Orcus idem est, qui Dis pater. Ergo apud antiquiores, quam Cicero est, eius diversitatis testimonia sunt quaerenda. Verum si quis Plauti et Terentii comoedias, Naevii Ennii Lucilii aliorum fragmenta consulet, saepe Orci, nonnumquam etiam Ditis patris ibi inveniet mentionem, nusquam vel in minimum incidet indicium, unde probetur duo illos putari deos, non unum. Si vero pristina illa diversitas reiicitur in illa tempora, quae prius fuerunt quam Musa pinnato gradu intulit se bellicosi in Romuli gentem feram, de iis me nescire ingenue fateor, cum tutum tum sanum iudicans illud Creontis ἐφ' οἷς γὰρ μὴ φρονῶ σιγᾶν φιλῶ.

Nobis igitur, qui versamur in ea antiquitate quam ex monumentis cognoscere possumus, ut Vulcanus idem est qui Mulciber, vel Bacchus nomine tenus a Libero patre differt, ita ne Orci quidem et Ditis persona, quamvis duobus appelletur nominibus, discindenda est.

Reliquum est ut videamus possitne Orci nomen praeter deum et regionem significare. Hic, ut in re subtiliore magisque impedita, pauca praemonita volumus. Habent hoc di antiqui ut eorum nomina subinde usurpentur de iis rebus quae imperio eorum subiectae sint. Velut cum sub imagine Iovis caelum dicitur, vel cum ignis Vulcani, vitis aut vinum Bacchi, mare Neptuni, Cereris fruges appellatione gaudent. Trita haec metaphora et Latina. Verum, ut totum hoc per translationem dicendi genus et certis legibus est adstrictum neque usquequaque valet, ita meminerimus esse certos fines quos intra deorum nomina ad suas cuiusque res transferre liceat. Recte Quintilianus metaphoram non permittit nisi aut ubi necesse est, id est ubi proprium verbum deest, aut ubi translatum verbum significantius est aut decentius quam proprium (Inst. Or. 8, 6 § 6, cp. ibid. § 18). Neque ferenda est metaphora nisi quae grata sit auribus mentibusve legentium vel audientium, quas cum simul et verbum translatum tangat et res sub imagine proposita aliena, varietate delectare, non diversitate defetigare oportet. Igitur cum in aliis translationibus modum tenent, tum in rebus per deorum nomina significandis operam dant scriptores ut iis utantur figuris, quae pariter accommodatae

sint ad dei naturam et ad id quod sub imagine divina lateat, neque Iovem universe pro caelo neque Neptunum pro mari dicunt. Quis umquam legit vel scripsit: sidera in Iove volventia vel naves trans Neptunum commeantes vel similia. At vero Orci nomen inter recentiores quidem nemo dubitat usquequaque de inferis regionibus usurpare. Ne tum quidem cum metaphorae minime est locus. An haec est metaphora, cum e. g. Orellius ad quendam Horatii versum annotat: "tellus aperit se ad recipiendas *in Orcum* mortuorum umbras," vel cum Heraldus, qui saeculo septimodecimo incunte floruit, versus Plautini (Cas. prol. 19) *qui nunc abierunt hinc in communem locum* ultima verba sic illustrare incipit: "Orcum vel terram?" Vel id quod in nominum indice quodam ad Vergilium scriptum inveni *Dis Orci rex?* Quis umquam Liberum patrem "Bacchi deum" nuncupavit?

Haec et similia cum apud recentiores saepe legissem, in veterum scriptis me invenire non meminissem, de tota hac Orci metaphora diffidere coepi, cum praesertim persuadere mihi nequirem antiquos homines de deo potente venerando inexorabili tam irreverenter locuturos fuisse, ut *in eum* abiisse dicerent, qui in eius regnum descendissent. Itaque statui quaestionem habere ea via, quae unice apta est ad verum inveniendum, perscrutandi ipsa veterum scripta, quantum inde ad nos pervenit, omnesque quotquot possem conquirendi locos, ubi nomen Orci inesset. Quae peregrinatio dubitandi salubritatem firmissimis probavit argumentis. Nam ex iis quae inveni luce clarius est Orcum ubique deum esse, nusquam eius mero nomine significari regionem. Mira hac in re consensio scriptorum omnis generis et aevi, archaicorum et classicorum, poëtarum eorumque qui oratione utuntur soluta, nec minus quorum sermo purus est atque elegans quam qui subrustice, plebeiae Latinitati propiores, loquuntur. Hanc ob rem in exponendis iis testimoniis nihil obstat, quin posthabitis temporum rationibus varium loquendi usum per singula genera persequamur.

1. Orcum sive Ditem deum inferorum a Romanis perinde habitum esse atque Graecorum "Αιδην sive Πλούτωνα supra ostendimus. Huic igitur poëtae suo iure omnia tribuunt illa, quae Graeci de Plutone suo vulgo tradere solebant, speciem terribilem, Proserpinam uxorem, Cerberum ianitorem, Charontem portitorem, Minoa alios iudices, regiam, solium, tenebras, mentem inexorabilem.[1]) In descriptionibus eius regni modo Ditis modo Orci nomine utuntur. Si Dis *durus* vocatur (Verg. Aen. 12, 199), at Orcus *formidabilis* audit (Ov. Met. 14, 116). Saepe memoratur Ditis *uxor*, e. g. Verg. Aen. 6, 394, at non minus Orcus est frater Iovis et Neptuni (Cic. N. D. 3, 17, 43), eiusque *nuptiae* memorantur a Servio ad Georg. 1. 343. Horatius Charontem *satellitem Orci* vocat (Od. 2, 18, 34), eundem Vergilius *portitorem Orci* (Georg. 4, 501). Simili paraphrasi Cerberus est *ianitor Orci* apud Verg. Aen. 8, 296 (quem locum laudat Seneca Epist. 82) et Minos *arbiter Orci* apud Propert. 4, 18, 27 ed. Keil. Cum his comparetur

1) Il. ι, 158

'Αΐδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος·
τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων.

"*Ditis chorus* horrida Erinys |et Bellona minax facibusque ornata Megaera| Letumque Insidiaeque et lurida Mortis imago" apud Petronium (Satir. 124). Aditus ad inferos non minus *Ditis ianua* vel *ostium* appellatur, quam *Orci*, cf. e. g. Verg. Georg. 4, 461 et Aen. 6, 127 *noctis atque dies patet atra ianua Ditis* cum *vestibulo* et *faucibus Orci* apud eundem Aen. 6, 273 vel cum Plaut. Bacch. 368, ubi trepidus paedagogus e domo meretricia effugium quaerens exclamat *pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci obsecro*. Eius regnum modo *Ditis regnum* et *domus* audit — ut Aen. 6, 269, Ovid. Met. 4, 510 — modo *Orci regiones* (Lucr. 6, 672) vel *templa*.[1]) Atque ubi cum Catullo *Orci malas tenebras* culpamus, quae omnia bella devorant vel cum Lucretio de futura animae sorte inquirimus *an tenebras Orci visat vastasque lacunas* (Lucr. 1, 114 sqq.): cavendum est ne de Orci aliter existimemus quam de Plutone faciamus si apud Graecum aliquem σκότος "Αιδου invenerimus. Etenim in omnibus iis Orcus nomen proprium, non appellativum. Ceterum, si vis discere quam promiscue Orci et Ditis nomina usurpentur, Psychen ad inferos descendentem observato in Apuleii Met. libro VII. Psychae a Venere hoc negotium datum fuerat, sic praecipiente: "sume istam pyxidem: usque ad inferos et *ipsius Orci ferales penates* te dirige. Tunc conferens pyxidem Proserpinae: petit de te Venus, dicito, modicum de tua mittas ei formositate, vel ad unam saltem dieculam sufficiens, etc." Psyche autem cum quo pacto hoc perficeret desperaret de praealta turri se praecipitare parat. Interpellat eam ipsa turris; in subitam vocem prorumpit suadetque ei ut Taenarum se conferat: "inibi *spiraculum Ditis* et per portas hiantes monstratur iter invium cuius te limite transmeato simul intromiseris, [2]) iam canale directo perges ad ipsam *Orci regiam*". Paulo infra rursus legimus *canis servat vacuam Ditis domum*.

Sacrificium deo Orco factum loco Plautino (Epid. 175) memoratur:

quóius quotiéns sepulcrúm vides *sácrificas*
ilico Orco hóstiis néque adeo iniúria
quia licitumst eam tibi víncere vivéndo.

Suetonius vero in vita Othonis c. 8 *victima Diti patri litavit*.

Similiter modo Orcus, modo Dis invocatur ab iis qui mori cupiant, cp. Lucret. 5,994 *horriferis accibant vocibus Orcum* cum Valer. Flacc. Argon. 7, 313, ubi Medea *Ditem* cum eius coniuge *ciet* "succurrere tandem morte velint".

2. Ut Graece in communi loquendi usu animae mortuorum εἰς "Αιδου — apud poëtas "Αιδι, εἰς 'Αίδαο δόμους sim. — descendere dicuntur, sic saepe Latini varie Orci nomen adhibent ad significandum excessum e vita. Vita functi *mittuntur* vel *demittuntur ad Orcum*, vel poëtice etiam *Orco*, vid. Hor. Carm. 1, 28, 10; ibid. 3, 4, 75; Verg. Aen. 2, 397; 9, 525 et 782; simili ratione Hor. Sat. 2, 5, 49 *si quis casus puerum egerit Orco*. Apud Livium

[1]) Varro L. L. 7, 2, 6 laudat versum Ennii *Acherusia templa alta Orci salvete infera.* Consimilis a Cicerone laudatur (Tusc. 1, 21, 49) *Acherusia templa alta Orci, pallida Leti obnubila tenebris loca.*

[2]) De meo mutavi vulgatam lectionem *commiseris*.

(9, 40, 9) Iunius Bubulcus magister equitum in media pugna manum hostium conspicatus „sacratos more Samnitium milites eoque candida veste et paribus candore armis insignes” amaro ioco exclamat *eos se Orco mactare*. Tum Orcus *mortuos* regno suo *recipit*. Plaut. Mostell. 2, 2, 68

nam me Ácheruntem récipere Orcus nóluit.

Apud eundem in Pseudolo (vs. 795—797) Ballio leno malum coquum his verbis perstringit:

quin ób eam rem Orcus récipere ad se hunc nóluit,
ut ésset hic qui mórtuis cenám coquat,
nam hic sólus illis cóquere quod placeát potest.

In Asinaria autem Argyrippus, certus vitae relinquendae, amoribus suis valedicit (3, 3, 16):

apud Órcum te vidébo,
nam équidem me iam quántum potis a víta abiudicábo

apud Orcum enim est, qui inter vivos esse desiit. Itaque in Captivis Pseudotyndarus de patre Philocratis cum ex eo quaeratur, scite respondet (2, 2, 33)

núnc vivatne nécne id Orcum scíre oportet scílicet.

Quoniam autem Orcus mortuos numquam ad lucem redire sinit, idque iter irremeabile est, de re quae fieri omnino non posset in proverbio videtur fuisse ut eam tum eventuram dicerent quo die Orcus mortuos a se dimisisset. Sic loquitur Adelphasium in Plauti Poenulo (1, 2, 131)

quó die Orcus Ácherunte [1]) mórtuos amíserit

i. e. numquam. Cf. fragmentum Lucilii apud Lactant. Instit. V, 15: „apud Lucilium disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari, *nec si Carneadem ipsum Orcus remittat*.”

3. Sub alia imagine in celeberrimo Naevii epigrammate, quod servavit Gellius (1, 24, 2) legimus *postquam Orci* — sive ut alii legunt *Orcino* — *traditus thesauro est* = „postquam vita excessit”. Alibi Orci opes laudantur (Ov. Met. 14, 117), quin ipse *dives* (vel, si placet, *Dives*) dicitur a Lygdamo (in Tibullianis 3, 3, 38):

Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

4. Sub alia rursus imagine Orcus ut Graecorum Θάνατος homines rapit. Saepe, in familiari praesertim sermone fingitur ipse adeo hostilem in modum vivis insidians, eos secum rapiens, aut ut segetem sibi debitam demetens. In Petron. Satir. c. 34 Trimalchio exclamat:

eheu nos miseros quam totus homuncio nil est.
sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

[1]) Cum prima syllaba vocis *Acheron* apud comicos poëtas producatur, praepositionem *ab* ante *Acherunte* positam delevi. Cp. pag. 11 infima.

In Epidico, Plauti fabula, Stratippocles adolescens amat fidicinam; ideo patri uxorem eum ducere cupienti, dicto audiens non est:

unó persuadebít modo, si illám quae adductust mécum
adémpsit Orcus. (vs. 363).

Gravis impetus Orci memoratur ab Ennio (Ann. 540 ed. Vahlen). *Rapax* dicitur Orcus ab Hor. Carm. 2, 18, 30. *Messis Orci* legitur in fragmento quodam L. Attii. Et Horatius (Epp. 2, 2, 178)

metit Orcus
grandia cum parvis, non exorabilis auro.

In his et talibus deus Orcus ipsam Mortem videtur repraesentare. Qua re haud raro fit, ut omnino Mortis personam gerat. Hor. C. 2, 3, 24 mortale genus appellatur *victima nil miserantis Orci*. Si apud Petronium legimus *nemo nisi Orcus nos seiungere potest* vel *neque illam* [sc. *stigmam*] *nisi Orcus delebit*: nos mutato nomine et imagine eodem modo de morte loqui solemus. Apuleius quendam instanti morti ereptum dicit *mediis Orci manibus* esse *extractum*, quasi nederlandice dicamus „uit de klauwen des doods gered.” Ut *mors pallida* audit in versu Horatii, sic Vergilius (Georg. 1, 277), *pallidum Orcum* depingit, quem imitati sunt Luc. Phars. 6, 715 et Stat. Theb. 12, 434. [1]) Quin personatus Θάνατος qui in Euripidis Alcestide crinem Alcestidis abscidit, a Macrobio Latine *Orcus* vertitur. Is Saturn. 5, 19, 4 sic scribit: „in hac enim fabula in scenam Orcus inducitur gladium gestans quo crinem abscidat Alcestidis et sic loquitur ἡ δ'οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς "Αιδου δόμους" et quae sequuntur, quae omnia apud Euripidem Θάνατος pronuntiat.

Ne plura: ubicunque veteres in Orco translatione utuntur, Mortem intelligunt, sedes inferorum numquam sub ea metaphora dicitur, ne apud audacissimos quidem in metaphoris adhibendis. Abeunt, mittuntur, descendunt *ad Orcum* ii quorum anima corpus reliquit; dehinc manent in aeternum *apud Orcum*, nisi si qui forte in breve tempus a magis sagisve *ab Orco* evocati sint. *In Orcum* vero, *in Orco*, *ex Orco* nemo aut dixit aut dicere poterat. Ceterum regioni inferorum suum est nomen, *Erebus* vel *Tartara* — Stat. Theb. 8, 22 Dis sive Orcus appellatur *dux Erebi*, Ov. Met. 5, 543 Proserpina *regina Erebi* — apud sequiores *infernum* et *inferna*, velut Auson. Perioch. p. 395 ed. Bipont. [2]) Antiquiores has regiones sollenni *Acherontis* appellatione designare solebant. Frequens est Acheron sive Acheruns = Ditis regnum in scriptis archaicorum Plauti Ennii Lucretii, neque apud Horatium Vergiliumve deest. Hor. Od. 1, 3, 36 *perrupit Acheronta Herculeus labor*, non fluvium nimirum sed Orci regiones. Verg. Aen. 7, 312 *flectere si nequeo superos Acheronta movebo*. Prisci ut alia locorum nomina ita et *Acheruntem* sine praepositione construebant. Plaut. Capt. 5, 4, 1 invenies

1) Sed et *Mors* = Dis. Fragm. Ennii Iphigeniae (p. 124 ed. Vahlen): *Acherontem nunc obibo ubi Mortis thesauri obiacent. Orci thesauri* supra (p. 8) a nobis mentio est facta.

2) *Infernum* non ante ecclesiae patres hoc sensu invenitur. Inde autem ductum est francog. »enfer,” non ex *inferis*, quod dedisset »ainfre”, vel »einfre.”

locativum *Acherunti* = in sede inferorum, eiusdem Poen. 1, 2, 31 ablativum, accusativum autem localem Most. 2, 2, 68, ubi Orcus Acheruntem i. e. domum suam mortuos recipere dicitur.

'At saltem in praeclaro loco Vergiliano (Aen. 6, 273 sqq.) Orcus ipsam sedem infernalem significat. Audi modo. Sibylla Aeneam ad inferos deducit.

ibant obscuri sola sub nocte per umbram
perque domos Ditis vacuas et inania regna,

et mox

vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
luctus et ultrices posuere cubilia curae

et quae sequuntur. Orcus hoc quidem loco est nomen regionis, non dei; quid enim aliud dicunt *Orci fauces* quam „aditum ad Erebum"? Et sic consuerunt accipere interpretes'. — Quos interpretes? Recentiores quidem. Nam veteres, ut par est, isto loco Orci divinam personam minime ignorabant. Forte fortuna duo diversa de hac re exstant testimonia. Alterum est Gellii, qui cum Noctium Atticarum libro sextodecimo de vi et proprietate vocis *vestibuli* disserit, ex nostro loco Vergiliano metaphoricum eius vocabuli usum illustrat. Cum enim vestibulum proprie sit spatium ante ianuam domus vacuum, etiam hoc loco per translationem ita dici locum vacuum ante ipsam quasi domum et ante *ipsa Orci penetralia*; fauces autem vocari iter angustum per quod ad vestibulum adiretur. Quod autem Gellius ait „Orci penetralia," meministi ab Apuleio „Orci regiam" modo, modo „Orci ferales penates" memorari (vid. supra pag. 9); unde liquido patet *fauces Orci* Gellium ita interpretatum esse, ut „aditum" dicerent „ad Orci domum." — 'At contra Servius diserte affirmat Vergilium deum pro loco posuisse'. Fateor, sed ne ista quidem ratione recentiores in explicando utuntur. Servius autem haec: „Deum posuit pro loco, ut Iovem dicimus et aetherem [1]) significamus. Horatius: manet sub Iove frigido venator. Orcum autem Plutonem dicit: nec enim per Charonta possumus intelligere inferos dictos, quia minor potestas pro imperio numquam ponitur, sed illa quae tenet imperium. Ergo alter est Charon: nam Orcus idem est Pluto, ut in Verrinis

1) Sic legendum. Edd. *aërem*. Vocabula *aether* et *aër* in codicibus sexcenties inter se permutantur, et falsae lectiones, dummodo in multis aut antiquissimis aut optimis codicibus mss. insint, ab hominibus doctis, ut fit, haud raro cupide retinentur. Sic e. g. miror, cur Ov. Mett. 5, 654 legatur:

veni nec puppe per undas
nec pede per terras: patuit mihi pervius aether,

cum Triptolemus — nam is loquitur — curru *per aëra* vectus esset, quod, ne ignoraremus, paucis versibus ante (vr. 644) poëta ipse cecinit. At apud eundem (Met. 6, 47) lege *aether*, nam

solet *aether* [non: *aër*]
purpureus fieri, cum primum aurora movetur
et breve post tempus candescere solis ab ortu.

Eadem opera Vergilio restituamus *aetherias auras*, quae Aen. 5, 520 scribarum socordia in »aërias auras" abierunt.

indicat Cicero" etc. Ut hic ridiculam sane Charontis mentionem praeteream, de qua vide quae ad pag. 14 annotabimus, satis apparet Servio non videri Orcum per se inferorum sedem significare posse, eumque magis audaciam excusare poëtae, quam loquendi usum affirmare. Verum ne hac quidem excusatione opus est. Primo Vergilius *vestibulum et fauces* eadem coniunxit ratione atque Cicero (Orat. 15, 50) *vestibula .... aditusque ad causam*, deinde genitivus possessoris adiectus quid tandem miri habet aut insoliti? An *Caesaris ianuam* vel *ostium* vel *fores* vel *fastigium* vel *atrium* Latine dicere licet, *vestibulum Caesaris* non licebit, ne scilicet posteritas, siquando vocis Caesaris vis obscurata fuerit, domum quandam et sedem potius quam hominem eo genitivo indicari existimare velit? Quod de homine Caesare valet, id de deo Orco profecto valebit [1]) neque Valerius Flaccus, qui locum nostrum imitatus est (Argon. 1, 815) eum videtur aliter accepisse. — Quapropter et alio loco Vergiliano, ubi regionem Orcum interpretari solent, Aen. 4, 442

hac animas ille evocat Orco
pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,

praepos. *ab*, non *ex*, mente supplenda est; *ab Orco*, i. e. ex eius domo Mercurius animas evocat [2]). Sic enim loquebantur veteres. Terent. Eun. 3, 4, 8 quisnam hinc *ab Thaide* exit? sc. ex domo Thaidis.

Tertius locus, de quo dubitari posset, est Hor. C. 3, 11, 29

seraque fata
quae manent culpas etiam sub Orco.

Ubi non est cogitandum de ima Tartari sede, sed *sub Orco* idem valet atque sub Orci regno vel potestate, i. e. post mortem. Orcus enim vita defunctorum aeternus rex atque dominus. Atque hi re vera in Orci familia numerantur; [3]) nam qui in terris *Orcini* audiunt servi per testamentum directe manumissi, eorum appellatio originem habet in ioco populari. Cum enim vivo domino servire numquam desiissent, scilicet eius morte tandem libertatis beneficio potiti, Orcum potius quam illum quasi patronum habere videbantur. Fuit autem hoc Orcinorum nomen, quamvis a sermone urbano non abhorreret, neque iustum neque legitimum, itaque a Gaii institutionum gravitate abest. [4]) Sed vulgo ita appellabantur, ioco ut fit in serium

1) *Ditis ostium* vel *ianua* et dicitur et ab omnibus accipitur pro ianua domus Plutonis, vid. e. g. Seneca Apocoloc. 13.

2) Cp. Ausonius Parentalia 16, 5

procul et de Manibus imis
arcessenda esset vox proavi Eusebii.

3) Apuleius Met. III, p. 154 ed. Bipont. homo certam mortem exspectans dicitur »iam in peculio Proserpinae et Orci familia numeratus." Mortui igitur proprie sunt *orcini* dicendi, unde optime derivatum adiect. poss. *orcinianus*, quod legitur apud Martialem (10, 5, 9).

4) Gai. II, 266, 267: »Qui autem ex fideicommisso manumittitur, non testatoris fit libertus .... sed eius qui manumittit. At qui directo testamento liber esse iubetur ...... is ipsius testatoris fit libertus". His Tribonianus in usum suum conversis

paulatim converso. Idem populus et senatores, qui ex Caesaris testamento in eam dignitatem provecti essent, *orcinorum* notavit nomine, vetere ioco salse in eos translato. Quos Graecus scriptor qui eorum temporum narravit historiam [1]) suo iure χαρωνίτας vertit. Nam Charon apud Graecos non minore fama in vulgus erat, quam Orcus apud Latinos. Testis est ipsa lingua, adiectivum quod est χαρώνειος adhibens ad varias res designandas quae ad inferos pertinerent, idque in quotidiano praecipue sermone, ut κλίμακες χαρώνειοι appellabantur scalae quibus e scena ad inferos descendebatur, χαρώνειος θύρα, qua malefici ad supplicium abducebantur. [2]) Vel hodie neque Orcus Italiam neque Graeciam suus Charon deficit. Etiamnunc Charontis senis figura quamvis mutato nomine haeret in animis et mentibus Graecorum. Orcus autem non solum apud Italos, sed etiam in Hispania et Francogallia ex deo factus anthropophagus quidam malus daemo in popularibus fabellis proprium hodie tenet locum. Quod facile intelligitur, si tecum reputaveris tales sententias, quales et Catulli illud *at vobis male sit, malae tenebrae | Orci quae omnia bella devoratis* et Lucani (Pharsal. 6, 715) *primo pallentis hiatu | haeret adhuc Orci*, poëtas non invenisse, verum ex quotidiano sermone depromptas in usum suum convertisse. Quae metaphora cum perspicua esset, dum veteres di colebantur, eius sensum nova religio Christiana quae deos quidem sustulit, deorum nomina omnino tollere nequibat, ita obscuravit, [3]) ut superstitiosi rustici, obliti Orci hiatum omnia bella devorantis pro Mortis ore figurate dici, veram gulam famelici cuiusdam hominum carne vescentis humani corporis mensuram valde exsuperantis credere inciperent. Sic pro poëtica imagine monstrum quoddam immane sibi formaverunt, is quem Francogalli *ogre* nuncupant, cuius fama fabellis Perraultianis tota Europa vulgata. Qui ab Hispanis *ogro* dicitur, at Italice nulla litterarum transpositione *orco*. [4]) Neque tamen principialis Orci significatio in Italia penitus periit, in paucis locutionibus etiamnunc permanet. [5]) At regionis infernae Orci nomine appellatae apud eosdem memoria exstat prorsus nulla.

---

tit. 24 libri II Institutionum Iustiniani addit »qui etiam orcinus appellatur". Quod autem iuris periti *orcinum libertum* ita definire solent, cuius patronus sub Orcum pervenerit, id neque a grammatica neque a sensu satis defendi potest.

1) Plut. Anton. 15.

2) Vid. Pollux 4, 127 et 132; 8, 102. Neque mirum est extremis temporibus antiqui deorum cultus, cum tot di tam diversi origine et natura inter se confunderentur atque confluerent, fuisse qui populares deos Graecum et Latinum, Charontem et Orcum assimilarent.

3) Ceterum iam ante Servium de persona Orci ambigebatur. Servius enim necesse habet obloqui iis, qui eum pro Charonte Latino ducerent. Quod quo facilius refellere licet, eo plus valet ad demonstrandum, quinto saeculo aerae nostrae veram Orci naturam iam oblitterari coepisse.

4) Velut iam apud Ariostum *Orlando Furioso* cantum 17; vid. e. g. vs. 14

ma vattene, per Dio, vattene figlio
che l'orco non ti senta e ti engoi.

5) Manuzzi, *Vocabolario*, s. v. inter alia memorat *essere in bocca all' Orco* = *essere in grandissimo pericolo di morire.*

De vi atque significatione vocis Orci haec satis. Nam fallitur, si quis per rationes etymologicas eam illustrari posse speret. Antiquum esse dei nomen supra ostendimus. Eiusmodi autem vocabula, cum ex remota antiquitate per multas hominum aetates magna cum religione tamquam per manus traderentur atque propagarentur, ut nescio quid sancti et occulti habebant, ita a reliqua lingua quadamtenus secedere et quasi propriam secretamque sedem obtinere coeperunt: quapropter perinde atque res divinae quas significant ultra humana positae sunt negotia, eodem pacto et illa nomina quibus di vocantur atque invocantur a communi lingua verbisque, ut ita dicam, profanis abhorrere videri fatendum est. Antiquiorem certe linguae statum quam cetera vocabula ostendere solent. Paucae admodum deorum appellationes ad certa etyma revocari possunt — quae quidem *non* levi quamvis acuti ingenii ludo *divinantur*, sed arte critica et disciplina linguarum rite adhibitis, *investigari debent* —; pleraque adhuc obscura sunt aut ambiguam habent originem. Missas igitur faciamus quae adhuc proditae sunt de *Orci* etymologia coniecturae et variae et vanae. Qua in re minime culpandi sunt Varro vel Festus vel eorum aequales, ne ridendi quidem — dabant enim quae poterant, studiumque interpretandi eorum certe laude dignum. Idem valet de recentioribus qui fuerunt antequam perspectum est linguarum et verborum rationem structuram vitam certis legibus esse adstrictam, quarum cognitio, id quod hodie omnibus notum est, toto caelo diversa est a tralaticia etymologizandi temeritate atque licentia. Sed hoc miror, quod nostra aetate scriptores librorum compendiorumve, quae disciplinam mythologicam antiquitatesve Romanas docent, cum ceteris in rebus serio rem agere neque imprudenter aut leviter virorum doctorum suspiciones probare consuerint, in re etymologica summa temeritate tenuissimum quidque amplectuntur, quasi numero corrigatur vanitas. Atque Orci quidem *septem* repperi etymologias. Ex quibus quattuor originem Graecam suspicantur, si modo quoslibet similes sonos Graecos cum sonis Latinis conferre suspicari est.

Unam imprudens finxit Vergilius, cui (Georg. 1, 277) canenti

ipsa dies alios alio dedit ordine luna
felices operum. quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satae, tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat saevumque Typhoea

neque Romanus deus neque fabula domestica ob mentem obversatur. Ab Hesiodo enim, ut saepe in Georgicis, lumen suum accendit. Ecce exemplum, illius carminis quod inscribitur Ἔργα καὶ Ἡμέραι, versus 803:

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί,
ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρίνυας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τινύμενον τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

Ὅρκον igitur iuramenti deum, quem Discordia peperit in perniciem periurorum (non quidem quinto die lunari) in *pallidum Orcum* transformavit diligentissimus poëta soni magis quam rei curiosus. Neque defuerunt qui ex hac licentia poetica *etymologiam* dei Latini struerent, quam defenderent

paulatim converso. Idem populus et senatores, qui ex Caesaris testamento in eam dignitatem provecti essent, *orcinorum* notavit nomine, vetere ioco salse in eos translato. Quos Graecus scriptor qui eorum temporum narravit historiam [1]) suo iure χαρωνίτας vertit. Nam Charon apud Graecos non minore fama in vulgus erat, quam Orcus apud Latinos. Testis est ipsa lingua, adiectivum quod est χαρώνειος adhibens ad varias res designandas quae ad inferos pertinerent, idque in quotidiano praecipue sermone, ut κλίμακες χαρώνειοι appellabantur scalae quibus e scena ad inferos descendebatur, χαρώνειος θύρα, qua malefici ad supplicium abducebantur. [2]) Vel hodie neque Orcus Italiam neque Graeciam suus Charon deficit. Etiamnunc Charontis senis figura quamvis mutato nomine haeret in animis et mentibus Graecorum. Orcus autem non solum apud Italos, sed etiam in Hispania et Francogallia ex deo factus anthropophagus quidam malus daemo in popularibus fabellis proprium hodie tenet locum. Quod facile intelligitur, si tecum reputaveris tales sententias, quales et Catulli illud *at vobis male sit, malae tenebrae | Orci quae omnia bella devoratis* et Lucani (Pharsal. 6, 715) *primo pallentis hiatu | haeret adhuc Orci,* poëtas non invenisse, verum ex quotidiano sermone depromptas in usum suum convertisse. Quae metaphora cum perspicua esset, dum veteres di colebantur, eius sensum nova religio Christiana quae deos quidem sustulit, deorum nomina omnino tollere nequibat, ita obscuravit, [3]) ut superstitiosi rustici, obliti Orci hiatum omnia bella devorantis pro Mortis ore figurate dici, veram gulam famelici cuiusdam hominum carne vescentis humani corporis mensuram valde exsuperantis credere inciperent. Sic pro poëtica imagine monstrum quoddam immane sibi formaverunt, is quem Francogalli *ogre* nuncupant, cuius fama fabellis Perraultianis tota Europa vulgata. Qui ab Hispanis *ogro* dicitur, at Italice nulla litterarum transpositione *orco.* [4]) Neque tamen principialis Orci significatio in Italia penitus periit, in paucis locutionibus etiamnunc permanet. [5]) At regionis infernae Orci nomine appellatae apud eosdem memoria exstat prorsus nulla.

---

tit. 24 libri II Institutionum Iustiniani addit »qui etiam orcinus appellatur". Quod autem iuris periti *orcinum libertum* ita definire solent, cuius patronus sub Orcum pervenerit, id neque a grammatica neque a sensu satis defendi potest.

1) Plut. Anton. 15.

2) Vid. Pollux 4, 127 et 132; 8, 102. Neque mirum est extremis temporibus antiqui deorum cultus, cum tot di tam diversi origine et natura inter se confunderentur atque confluerent, fuisse qui populares deos Graecum et Latinum, Charontem et Orcum assimilarent.

3) Ceterum iam ante Servium de persona Orci ambigebatur. Servius enim necesse habet obloqui iis, qui eum pro Charonte Latino ducerent. Quod quo facilius refellere licet, eo plus valet ad demonstrandum, quinto saeculo aerae nostrae veram Orci naturam iam oblitterari coepisse.

4) Velut iam apud Ariostum *Orlando Furioso* cantum 17; vid. e. g. vs. 14

ma vattene, per Dio, vattene figlio
che l'orco non ti senta e ti engoi.

5) MANUZZI, *Vocabolario,* s. v. inter alia memorat *essere in bocca all' Orco = essere in grandissimo pericolo di morire.*

De vi atque significatione vocis Orci haec satis. Nam fallitur, si quis per rationes etymologicas eam illustrari posse speret. Antiquum esse dei nomen supra ostendimus. Eiusmodi autem vocabula, cum ex remota antiquitate per multas hominum aetates magna cum religione tamquam per manus traderentur atque propagarentur, ut nescio quid sancti et occulti habebant, ita a reliqua lingua quadamtenus secedere et quasi propriam secretamque sedem obtinere coeperunt: quapropter perinde atque res divinae quas significant ultra humana positae sunt negotia, eodem pacto et illa nomina quibus di vocantur atque invocantur a communi lingua verbisque, ut ita dicam, profanis abhorrere videri fatendum est. Antiquiorem certe linguae statum quam cetera vocabula ostendere solent. Paucae admodum deorum appellationes ad certa etyma revocari possunt — quae quidem *non* levi quamvis acuti ingenii ludo *divinantur,* sed arte critica et disciplina linguarum rite adhibitis, *investigari debent* —; pleraque adhuc obscura sunt aut ambiguam habent originem. Missas igitur faciamus quae adhuc proditae sunt de *Orci* etymologia coniecturae et variae et vanae. Qua in re minime culpandi sunt Varro vel Festus vel eorum aequales, ne ridendi quidem — dabant enim quae poterant, studiumque interpretandi eorum certe laude dignum. Idem valet de recentioribus qui fuerunt antequam perspectum est linguarum et verborum rationem structuram vitam certis legibus esse adstrictam, quarum cognitio, id quod hodie omnibus notum est, toto caelo diversa est a tralaticia etymologizandi temeritate atque licentia. Sed hoc miror, quod nostra aetate scriptores librorum compendiorumve, quae disciplinam mythologicam antiquitatesve Romanas docent, cum ceteris in rebus serio rem agere neque imprudenter aut leviter virorum doctorum suspiciones probare consuerint, in re etymologica summa temeritate tenuissimum quidque amplectuntur, quasi numero corrigatur vanitas. Atque Orci quidem *septem* repperi etymologias. Ex quibus quattuor originem Graecam suspicantur, si modo quoslibet similes sonos Graecos cum sonis Latinis conferre suspicari est.

Unam imprudens finxit Vergilius, cui (Georg. 1, 277) canenti

ipsa dies alios alio dedit ordine luna
felices operum. quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satae, tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat saevumque Typhoea

neque Romanus deus neque fabula domestica ob mentem obversatur. Ab Hesiodo enim, ut saepe in Georgicis, lumen suum accendit. Ecce exemplum, illius carminis quod inscribitur Ἔργα καὶ Ἡμέραι, versus 803:

Πέμπτας δ᾽ἐξαλέασθαι, ἔπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί,
ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρίνυας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τινύμενον τὸν Ἔρις τέκε πῆμ᾽ ἐπιόρκοις.

Ὅρκον igitur iuramenti deum, quem Discordia peperit in perniciem periurorum (non quidem quinto die lunari) in *pallidum Orcum* transformavit diligentissimus poëta soni magis quam rei curiosus. Neque defuerunt qui ex hac licentia poetica *etymologiam* dei Latini struerent, quam defenderent

argumentis hoc genus: »ab ὅρκος, iuramentum, quia sit iuramenti deus, et per Plutonem et Stygiam Inferorum paludem iurare etiam dis mos fuerit et magna religio." Ergo propterea quod di Graeci per Stygiam paludem iurare solent, ideo homines scilicet Latini ipsum inferorum deum Graeco potissimum iuris iurandi nomine appellaverunt!

Alteram excogitavit Casaubonus ille, qui alter Horatius apis Matinae more modoque grata carpebat thyma per laborem plurimum, unde operosa non ut ille carmina, sed commentarios composuit doctos quidem et laboriosos, sed a parte etymologica sane antiquatos. Nihilosecius eius ariolationes in lexicis nostris etiamnunc repetuntur! Quas qui cognoscere velit, inspicito Suetonium, quem edidit Casaubonus Parisiis, p. 74; quo facto mihi assentieris nullam fidem habendam esse eis qui Orcum a Graeco ὄρχον derivarent, vel mehercules etiam hodie derivent.

Tertiam autem profert PRELLER II, p. 62: »Die neuere Etymologie denkt bei Orcus gewöhnlich an das Griech. ἕρκος in der Bedeutung eines Verschlusses". Ilud »denkt" Latine somniare appellatur, non cogitare.

Quartam denique repperi apud KRIEG, *Grundriss der Röm. Alterthümer*, ibi inter alia "Ερεβος et Orcus inter se comparantur, quamquam id vocabulum Graecum quod Sanscr. *rajas*, Got. *riqvis* respondet, Latine nulla ratione »Orcus" sonare potest.

At veteres grammatici originem Latinam coniiciebant.[1]) Hoc prudentius, sed conantes deficiebant vires. Verrius Flaccus apud Festum p. 202: »Orcum quem dicimus ait Verrius ab antiquis dictum *Urgum*, quod et u litterae sonum per o efferebant, per c litterae formam nihilominus g usurpabant, sed nihil affert exemplorum ut ita esse credamus nisi quod is deus maxime nos urgeat." Quam non firma sit haec etymologia, ante oculos est; conversa enim sana cogitandi ratione Verrius prius etymon sibi finxit, quam inde deduceret quibus sonis pari scriptura vocabulum ORCVS ab antiquis expressum esse putaret. — Neque melioris farinae quae Varro L. L. V, 66 ait, qui locus, si recte a Madvigio emendatus est — quod dubito — ortuum quod sit finis, ideo Orcum appellari declarat.[2]) — Nuper septimam protulit JORDAN (in annot. ad II, pag. 63 Prelleri *Römische Mythologie*) »Dies auch von den alten Gramm. gewöhnlich als ursprünglich lateinisch anerkannte Wort kann wohl mit *arc-* dessen Begriff (*arc-a arc-eo, arc-s, arcanus*) passt, zusammenhängen." Hic certe audiendus est, verumtamen etiam redarguendus. Etenim, quamquam sonorum diversitas (cum in *Orco* qui sonus est *o*, respondere debeat ei, qui est *a* in *arce*) quodammodo defendi potest, a sensu tamen nullam habet defensionem. Ad sedem mortuorum *arcae* imago pertinere potest — arci enim, loco edito atque arduo hic utique locus non est —, ad terribilem

---

1) Vide e. g. Probum grammaticum (apud KEIL Gramm. Latini IV, p. 10): »hoc tamen scire debemus, quod omnia nomina post c litteram habentia h peregrina sunt .... exceptis tribus, quae Latina sunt, *lurcho*, *pulcher*, *Orchus*; sic enim in antiquioribus reperies, non Orcus." *Orchus* autem sine dubio vitiosum est, neque hodie scribitur; vid. BRAMBACH *über die Neugestaltung der Lat. Orthographie*, p. 288.

2) Vid. MADVIG *Adv. Critica*, II p. 167.

Mortis deum, homines rapientem aut devorantem non potest. Neque vero ex linguae Latinae thesauro res videtur explicari posse, sed altius est repetenda. Eiusmodi enim quaestiones solvi non possunt nisi comparatis cognatarum inter se gentium mythologiis linguisque. Quid hac via assecutus sim, alibi exponam Pro huius argumenti brevitate sufficito me demonstrasse Orcum semper deum esse, numquam in tota antiquitate loci fuisse nomen.

---

2. Oppidulum versu quod dicere non est (Hor. Sat. 1, 5, 87).

Satirici Romani cum identidem res personas loca tempora aut minus nobis nota aut prorsus ignota tangant vel ad ea alludant, sequitur ut sine interprete satis intelligi non possint. Atque utinam quales post litteras renatas nacti sunt interpretes et commentatores, Casaubonos Bentleios Hermannos, eiusmodi scholiastae vel glossatores eorum ex antiquitate servati essent. Sane non desunt scholia, utut sunt, plena utilitatis atque minime contemnenda ad Horatium Persium Iuvenalem, verum caute admodum iis est utendum. Nonnumquam quae tantum divinabant pro certis venditant, interdum nihil aliud quam ex ipsis poëtae verbis concludunt, quae quivis alius dum attente legat ipse invenire queat, subinde in rerum errores aperte se implicant. Id a summis criticis aliisque iampridem animadversum est. Rem veterem novo argumento confirmare conabor.

Horatius in enarrando itinere Brundisino accurate omnes deinceps stationes memorat, ubi pernoctatum est: Ariciam, Forum Appii, Anxur, Formias, villam prope pontem Campanum, Capuam, Caudium, Beneventum, villam prope Trivicum. Hinc redis avecti sunt.

quattuor hinc rapimur viginti et milia redis
mansuri oppidulo quod versu dicere non est,
signis perfacile est. venit vilissima rerum
hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra
callidus ut soleat umeris portare viator —
nam Canusi lapidosus — aquae non ditior urna
qui locus a forti Diomede est conditus olim.

Aequalibus Horatii haud dubie in promptu erat ex his signis nomen oppiduli efficere, nobis non item. Sed posteritati consuluit bonus scholiasta, nomen oppiduli addidit; »Equotuticum significat, cuius nomen hexametro versu complecti non potest." Hoc igitur testimonio confisi viri docti usque adhuc Equum Tuticum sive Equotuticum sive Equotutium sive Aequum Tuticum — varie is locus scribitur — ab Horatio significatum esse censent. Non latebat quidem id oppidum Hirpinorum ad ceterum iter non satis convenire, cum Brundisium petentibus in Apuliam contendendum non in Apenninum versus recedendum esset. Iam Cluverius hanc ob rem de fide huius interpretationis dubitabat, *Arpos* non Equum Tuticum id oppidulum fuisse suspicatus, quam suspicionem ut levem facile refellit Bentleius.

Iam alium geographum Walckenaer item video per rationes geographicas demonstrasse, de Equotutico nostro loco cogitari non posse. Sed plus etiam est. Si Equotutici deverterant, quo pacto postero die Rubos pervenire poterant? Rubi enim ab Equotutico amplius diei itinere abest, cuius prior pars per asperos flectitur montes, tum multa milia passuum per Herdonias et Canusium in planitie eundum. Quam ob rem vulgo censentur biduo id spatium confecisse, ét Canusii mansisse ét Rubis; non quidem Canusii moram ab Horatio diserte commemorari, verum quod poëta ad Canusii vs. 91 mentionem continuo (vs. 93) addat *flentibus hic* [1]) *Varius discedit maestus amicis*, inde effici primo Canusii Varium a ceteris discessisse, tum si Canusii ille discesserit, necessario Maecenatem et Horatium et reliquos Canusii etiam fuisse, denique si eos ibi fuisse statuendum sit, ex rationibus geographicis apparere ibidem etiam per noctem eos mansisse. Credat Iudaeus Apella; non ego hanc interpretandi rationem duram, multiplicem, ab Horatii perspicuitate maxime abhorrentem, probare possum. Sed fac re vera per ambages mansionem Canusii a poëta esse indicatam, fac Horatium cum cetera ex ordine enarraret unde et quo quoque die pervenisset, in uno Canusio contra morem suum id non observasse, at Canusium non tam longe a Rubis abesse potest, ut epitheton *longum iter* vs. 94 satis expeditum sit. Fuit tamen iter Rubos longum, via haud ita bona:

inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
carpentes iter et factum corruptius imbri.

Sed nolo te amplius morari, B. L. Fons et origo difficultatum fuit scholion quod supra memoravimus. Si hoc non exstaret, iampridem credo summi critici qui Horatium ediderunt, verum invenissent, nunc prava fiducia iis fraudi fuit. Inspicedum quamvis tabulam Italiae geographicam, videbis in medio fere intervallo inter Trivicum et Rubos sitam esse **Venusiam**, Horatii patriam. Ibi confecto viginti et quatuor milium itinere mansit, eam libens versibus celebravit indicavitque signa proferens satis profecto nota amicis neque ceteris aequalibus obscura. In Venusia enim signa optime conveniunt. Primum Vĕnŭsĭa hexametro versu dici omnino non potest. Tum Canusium ita vicinum est, ut mentio eius urbis ad inveniendam Venusiam cum maxime adiuvet. Deinde ipsa signa quae proferuntur eiusmodi sunt ut rite edantur ex ore hominis in eo oppido nati et alti, minime ex eius qui noctem tantum ibi commoratus esset; locorum scientiam, regionis consuetudinem exhibent. Amicis autem haec signa: aqua venalis, panis pulcherrimus notissima esse debebant; cum enim Horatius in scriptis patriae non minus quam patris amorem declaret, facile intelligitur etiam in sermonibus et quotidiana cum amicis consuetudine de iis eum non tacuisse. Postremo ratio itineris postulat ut in eo oppido manserit. Posita est enim Venusia in medio fere intervallo quod est inter Trivicum et Rubos, tum ab hoc loco satis longe abest ut intelligamus ob longitudinem itineris fessos Rubos pervenisse. Canusii neque fuerunt neque esse potuerunt. Hoc Peerlkampius cum intellexisset, versum 92

1) Sic cum Bentleio legendum pro vulgato *hinc*.

qui locus etc. interpretando ad ipsum oppidulum rettulit, ut is esset locus olim conditus a forti Diomede. Saltem hoc tolerabilius, quam ut more geographorum conditor urbis Canusii sine causa, meri ornamenti instar a poëta elegantissimo additus existimetur. Eadem ratio Bentleium permoverat, ut totum versum 92 ut spurium expungendum censeret.

Si vero Venusiae mansit Horatius, illa verba:

aquae non ditior urna
qui locus a forti Diomede est conditus olim,

quae tot interpretum saecula male habuerunt, perspicua fiunt. Duo edit signa poëta ad cognoscendum oppidulum, quod versu dicere non est: venire ibi aquam, panem ibi pulcherrimum esse. Haec cum per se non sufficiant, addit Canusii in vicina urbe panem multo esse deteriorem, de aqua aliud addit. Quid igitur? Regionem illam aridam, in qua situm est id oppidulum ἄμετρον, olim ordinatam fuisse a Diomede heroë. Dicit igitur: „mansimus hac nocte in parvo oppido, cuius nomen hexametro versu includi non potest, sed situm est prope urbem Canusium circa Dauniam". *Locum* enim *condere* quod Bentleio ne Latinum quidem videbatur si eodem sensu diceretur atque „urbem condere", aliter accipere licet. Potest „locus" valere pro regione, velut in Vergiliano illo

est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.

Eiusmodi locum qui condidit, eum ordinavit, legibus et iure consuefecit, homines ex incondita et rudi turba ad vitae societatem et mores vocavit, ut Saturnus Italos [1]), Romanos Romulus et Numa. *Aquae non ditior urna qui locus* i. e. ea terra arida, quam supra diximus, non urna plus aquae habens, *fortem Diomedem* heroa eponymum habet. [2]) Ex Strabone et Servio scimus maximam tota Daunia semper fuisse Diomedis memoriam. Non Arpi solum et Canusium, sed et alia oppida complura a Diomede condita esse ferebantur: Sipontum (Strabo VI, C 284), Beneventum et Equumtuticum (Serv. ad Aen. 8, 9), Garganus, Venafrum, Venusia. In Servianis ad Aen. 11, 246 haec legimus: „sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur civitates, ut Venusiam quam in satisfactionem Veneris, quod eius ira sedes patrias invenire non poterat, condidit, quae Aphrodisias dicta est". Quodsi Equumtuticum non minus quam Venusia Diomede conditore gloriabatur, etiam causam erroris videmur deprehendisse: qui scholion supra memoratum composuit, vel potius quicumque primus auctor fuit eius inter-

1) Verg. Aen 8, 319 primus ab aetherio venit Saturnus Olympo
. . . .
is genus indocile ac dispersum montibus altis
composuit legesque dedit, Latiumque vocari
maluit, etc.

2) Si *locum* de ipso oppidulo accipere mavis, spreto Bentleii scrupulo, ut fecit Peerlkampius, et hoc admitti potest. Sed tot urbes et oppida a Diomede condita ferebantur ut difficile sit intellectu, quid tandem ad inveniendum nomen iuvare posset dicere id potissimum oppidulum Diomedis esse *κτίσμα*.

pretationis, quae Equitutici Horatium devertisse statuit, is ex duobus locis prope Trivicum a Diomede conditis perperam optavit. Etiam memoria *Tuticani*, nominis neque hexametro versui nec pentametro apti, ab Ovidio (Ex Ponto 4, 12) facete evitati apud hominem grammaticum aliquantum potest valuisse.

Fortasse mihi obiicietur: „Venusia, colonia Romana et quidem bis deducta, non poterat dici *oppidulum*". Tempore belli Punici secundi certe Romani Venusinis usi sunt sociis fortibus atque fidelibus. Tunc Venusia erat civitas alicuius momenti et potentiae. Sed id ipsum bellum Hannibalicum cum toti Dauniae calamitosum fuit, tum compluribus vetustis urbibus admodum nocuit. Testis est Strabo, Horatii aequalis, geographus spectatae fidei et diligentiae. Is in describenda Daunia et Apulia (VI, C 285) πρότερον μὲν, ait, ηὐτύχει αὕτη πᾶσα ἡ γῆ, Ἀννίβας δὲ καὶ οἱ ὕστερον πόλεμοι ἠρήμωσαν αὐτήν, alibi memorat Canusium et Arpos, ut ex moenium circuitu appareret, olim maximas fuisse Italiae urbes, tunc in brevius contractas. Venusiam idem semel nominat, et id obiter simul cum Hyria, cum demonstrat utrumque oppidum viam Appiam tangere, hoc inter Brundisium et Tarentum, at Venusiam in confinio Samnitium et Lucanorum; Hyriae autem cum etiam alio loco meminit, πολίχνιον i. e. „oppidulum" dicit. Inde tuto colligere licet, ne Venusiam quidem eiusmodi appellatione indignum fuisse. Poterat igitur Horatius de patria sua ut oppidulo loqui, maxime in sermone festivo. Quidni hoc loco faceret, ad urbanum dictum accommodatissimo?

---

3. Emendationes.

Satis constat, vel vetustissimos et optimae notae codices multis locis vitiis inquinatos esse solere, in quibus indagandis atque, si potis est, corrigendis ars critica et multum iam versata est et diu versabitur. Non est unius aetatis nedum hominis antiquum scriptorem ita emendare ut a posteris nihil supra addi possit. Quamquam non de industria quaerendae sunt coniecturae, quae si bonae erunt, sua sponte veniant necesse est. Quibus si in veterum textibus constituendis carere possemus, optimum esset: nam ut falsas et corruptas lectiones correxisse iuvat, ita sinceris et veris uti praestat. Haec praefatus sum ne quis libenter me putaret accedere emendatorum catervis, atque ut Horatiana utar imagine, in silvam ligna ferre. Sed res sic se habet. Corruptelae in veterum scriptis etiamnunc insunt multae, quas non contortae interpretationis fuco oblinere oportet — id vero esset os oblinere lectoribus vel quod etiam peius est, discipulis — sed plane agnoscere et veris nominibus uti. Quodsi hic illic felix coniectura tibi in mentem veniat, quae salva grammatica, salvo sensu locum aperte corruptum, tamquam magica quadam virga attigeris, in integrum restituat, simul ut causa erroris indagetur, quidni eam in medium proferas? Sic arbitrato haud absurdum visum est pauca quoque huius generis ex adversariis meis huc conferre.

I. — Verg. Aen. II, 595. Aeneam aspectui Helenae immorantem, ultionem et poenas meditantem, oblitum suorum corripit mater Venus:

nate, quis indomitus tantus dolor excitat iras?
quid furis aut quonam nostri tibi cura recessit?
non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen, superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer?

et quae sequuntur. Haec perspicua nisi quod haeremus in voce *nostri*. Servius „*nostri cura* et hoc loco, ut solet, unam se de Aeneae familia facit, ut [I, 251] *unius ob iram prodimur.*" Ita „nostri cura", quae verba ex ore Veneris nihil aliud esse possunt, nisi *cura mei*, *Veneris* aut *cura deorum*, ita detorquentur ut non Veneris deorumve sed Anchisae Ascanii Creusae curam declarent. Aliam explicationem tentavit Heynius: secundum eum Venus Anchisen cogitat se ipsam dicit, hac enim mente filium admonet „ut Anchisen a Venere amatum tueatur ac servet: nisi reverentia est, quam Venus exigit in hoc, ne Helenae quam ipsa tuebatur iniuriam faceret." Quae interpretatio malo causidico quam bono philologo dignior. Neque si genitivum „nostri" subiectivum, ut dicunt, accipimus, quicquam inde lucramur. Peerlkampio merito totus versus obscurus videtur. Scilicet vetustissimum inest mendum. NOSTRI ortum est ex male lecto MŌSTRI. Dicit Venus:

quid furis aut quonam **monstri** tibi cura recessit?
non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen, etc.

Celeritate opus est, at moraris. Patri filio uxori opem ferre debes: Helenae caedem meditaris. Quid furis? Quonam monstri, in quamnam rem portentosam, immanem, a re tua alienissimam cogitatio tua recessit? Duas interrogationes per *aut* coniunctas saepe idem valere notissimum est. Ad rem confer quae Appius Claudius apud Ennium:

quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
antehac, dementes sese flexere viai?

II. — Verg. Aen. IV, 584 sqq. Dido Aeneam videt vela dantem classemque ex portu procedentem. Erumpit in celeberrimas illas querelas cum exsecratione gentis Troianae. Primum invocat Solem, tum Iunonem, tum Hecaten, deinde haec edit (vs. 610)

et Dirae ultrices et di morientis Elissae,
accipite haec.

Ubi quid sint *di morientis Elissae* nemo umquam expedivit. Peerlkamp: „*di morientis* explicatu est difficile. Genios Didonis, Manes Sychaei, etiam ultores Elissae interpretantur." Versus corruptus bis. Nam et perperam interpungitur — non enim sunt di, sed verba morientis Elissae — et sub vocabulis *et di* vetus mendum latet. Quae si unciali scriptura exarata fin-

gimus, correctio est facilis; ETDEI ortum est ex FIDEI. Optime omnia procedunt, si Dido haec dicit:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
tuque harum interpres curarum et conscia Iuno
nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes
et Dirae ultrices **fidei**, morientis Elissae
accipite haec.

Iam Servius depravatum versum legit.

III. — Verg. Aen. VI, 210

corripit Aeneas extemplo avidusque refringit
cunctantem et vatis portat sub tecta Sibyllae.

Peerlkampius perspicue, ut assolet, exponit *cunctantem* huic loco aptum non esse. Cum enim supra Aeneae vaticinata esset virgo: aureus ille ramus „*ipse volens facilisque* sequetur | si te fata vocant: aliter non viribus ullis | vincere nec duro poteris convellere ferro" (VI, 146 sqq.), sequitur ut Aeneas eum facile decerpserit. At cunctans refringitur qui resistit quominus refringatur. Vergilius scripsit **nutantem**. Nutat qui labefactatus est, qui loco cedit, fluxus. Aen. 2, 629 nutat ornus, quam lignatores admotis securibus certatim accidunt. Ibid. 9, 682 nutant summae quercus vento motae. Tac. Ann. 1, 17 princeps recens factus qui nondum radices egit, dicitur „novus et nutans adhuc." Macrob. Sat. 1, 12, 2 „anni certus modus apud solos semper Aegyptios fuit; aliarum gentium dispari numero pari errore nutabat." In his et similibus externa aliqua vis causa est nutandi. Nostro loco aureus ramus sua sponte cedit. Nullo negotio Aeneas nutantem refringit perinde atque ei fuerat praedictum. Mendum autem ortum videtur ex eo quod cum in archetypo *nutantem* in versu primum occuparet locum, prima autem littera aut abesset, aut evanida esset, scriba perperam suppleverit, CŪTĀTEM exarans pro eo quod esset [N]UTĀTEM.

IV. — Verg. Aen. V, 575 lege

excipiunt plausu impavidos gaudentque tuentes
Dardanidae.

Syllaba *im* hic excidit. Pueri Troiani quamvis verecundi minime pavebant, neque parentes iuvasset aspectus timidorum. Si enim verecundia moti paverent, quid est quod poëta eosdem *laetos* appellat?

(vs. 577) postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
lustravere in equis.

V. — Hor. C. 1, 37, strophae sextae:

quae [sc. Cleopatra] generosius
perire quaerens nec muliebriter
expavit ensem nec latentes
classe cita reparavit oras,

ultimus versus interpretes non sine causa vexavit et vexat. Sensu enim prorsus caret et aperte vitiosus est. [1]) Merito igitur L. Müller in ed. sua Teubneriana corruptelae signum apposuit. Quid enim sit *oras classe cita reparare* nemo sanus intelligit. Meinekius coniecit *sollicitare paravit oras*, quod Müller ob metricas rationes impugnat, neque ab historia commendatur. Tantum enim abest ut Cleopatra latentes, i. e. remotas, oras sollicitare non paraverit, ut sub adventum Octaviani usque in Arabiam fugam cum animo suo volutaverit. Paravit quidem fugam, et eam classe (naves ex Mediterraneo per Isthmum, qui Aegyptum ab Arabia separabat, in sinum Arabicum transferre conata, Plut. Anton. 69 ἐνεχείρησεν ἄρασα τὸν στόλον ὑπερνεωλκῆσαι καὶ καθεῖσα τὰς ναῦς εἰς τὸν Ἀραβικὸν κόλπον ἔξω κατοικεῖν, ἀποφυγοῦσα δουλείαν καὶ πόλεμον) sed consilium suum non perfecit, ἐπεὶ δὲ τὰς πρώτας ἀνελκομένας τῶν νεῶν οἱ περὶ τὸν Πέτραν Ἄραβες κατέκαυσαν, ἔτι δ᾽ Ἀντώνιος τὸν ἐν Ἀκτίῳ στρατὸν ᾤετο συμμένειν, ἐπαύσατο. Quid ergo, si viam ingressi, monstratam a L. Bos (quem laudat Peerlkampius) qui unam litterulam coniecit excidisse, duas periisse statuimus, ut legendum sit

Classe cita Ire paTravit oras.

Animi magnitudo hac in re cernitur quod fugam quidem meditata est, verum non patravit. Haec autem medicina lenior, quam si cum Bentleio legas: classe cita *penetravit* oras. Comp. etiam Lucr. 5, 386: quod facere intendunt, *neque adhuc conata patrantur*.

VI. — Leniorem fortasse etiam medicinam adhibere licet ad restituendum alium versum Horatii (C. 2, 13, 18). Poëta ibi hanc sententiam, homines incertis fortunae casibus maxime obnoxios esse, exemplis illustrat

navita Bosporum
Thynus perhorrescit neque ultra
caeca timetve aliunde fata:
miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
robur; sed improvisa leti
vis rapuit rapietque gentes.

Ut nauta periculum a mari timet, ita Romanus miles a Partho, Parthus a Romano. Illi enim cum procellis luctandum, at his alteris inter se suis cuique armis contendendum uter opprimat adversarium, ita ut Parthi artes belli reformidet Romanus, huius vero ille. Verum plerumque alio mortis genere occumbere solent. Hoc, ni fallor, vult poëta. Sed non plane expressit. Etenim Romani timorem intelligimus, fugam Parthi equitis et sagittas numquam frustra emissas horrentis, Parthus cur carceres potissimum Italos metueret non intelligitur. Non enim capti hostes carceribus includi solebant sed aut interfici aut venire. Malefici et fures in carcere includebantur.

1) Bentleius: »Quid, obsecro, est *reparare oras classe?*" et grammaticos increpat »qui si hypallagen, hyperbaton, synchysin nominaverint, egregie loca quaeque contaminatissima se putant expedire." Peerlkampius: »Locus difficilis, qui me maxime omnium vexavit."

Catenae autem et *robur*, sic coniuncta, quid aliud significare possunt quam carcerem? Et solent interpretes accipere de Tulliano carcere. Sed explicare supersederunt quo pacto carcer urbis Romae a Servio Tullio aedificatus, „Italum" robur iure vocari posset. Praestat sententia eorum qui de Italarum legionum roboribus cogitent. Sed quid tum *catenae?* Nam catenas, quales superbi et insolentes reges et imperatores victoriae securi secum portabant, ut illae ἁλύσεις, quas memorat Plutarchus (de vit. aer. alieno c. 4 § 3, *Moral.* p. 829 A) Datim et Artaphernem adversus Athenienses habuisse, tales poëta hic dicere non poterat.

Suspicor vocabulum *catenas* esse corruptum. Si certum esset, Ventidium Bassum, qui anno 38 ante Chr. n. clara de Parthis victoria Crassi cladem ultus est — de qua pugna Plutarchus (Anton. 34) τοῦτο τὸ ἔργον ἐν τοῖς ἀοιδιμωτάτοις γενόμενον — Gallis vel Germanis auxiliaribus usum esse, non dubitarem affirmare CATENAS ortum esse ex CATEIIAS, i. e. *cateias*. Id enim telum, quamvis Italis non ignotum (vid. Verg. Aen. 7, 741) Gallorum imprimis vel Teutonum proprium fuisse dicitur. Eo optime hostem nonnisi eminus pugnantem urgere poterant. In Antonii dumtaxat exercitu cum adversus Phraatem duceret, Galli erant, vid. Plut. Ant. 41.

VII. — In octavo Aeneidos libro inest fabula certaminis Herculis et Caci, quod magnifice a Vergilio descriptum utilissimo commentario instruxit Michel Bréal in dissertatione quae inscribitur „Hercule et Cacus, étude de mythologie comparée" vid. imprimis cap. X. — Egregia poëtae narratio in versu 219 obscuratur mendo, quod eximere conabor. Postquam in superioribus Caci rapina, Herculis labor in quaerendis raptis bubus frustra positus, tum eius discessus cum reliquorum boum mugitu, postremo unius ex raptis ad eum clamorem reddita vox, latibulumque inde cognitum deinceps narrata sunt, poëta ipsam pugnam herois et monstri referre aggreditur. Describit iram Herculis et primum impetum:

> hic vero Alcidae furiis exarserat atro
> felle dolor: rapit arma manu nodisque gravatum
> robur et aërii cursu petit ardua montis.

In iis obscurum est, quid sibi velint *furiae* Alcidae, tum plusquamperf. *exarserat* contra grammaticam, quae perfectum requirit. At omnia recta se habebunt, si mecum sentias FURIIS librario deberi, poëtae manum esse FURTIS, pro *Alcidae* autem, ut iam Peerlkampius proposuerat, nomin. *Alcides* reponendum esse. Scripsit enim Virgilius

> hic vero Alcides — **furtis** exarserat atro
> felle dolo — rapit arma manu etc

Iam ante (id vult plusquamperfectum) furtum heroi dolorem moverat, qua de causa cognito latibulo ultionem sitiens extemplo adversus latronem vadit.

VIII. — In oratione, quam pro Sex. Roscio Amerino habuit, Cicero duorum Rosciorum Capitonis et Magni scelesta societate caedis et rapinae, Sex. Roscii patris nece bonorumque eius a T. Roscio iniusta occupatione exposita, quantus

ob eas res Amerinos luctus cepisset declarat, indignationem vero tantam fuisse narrat ut nefarii sceleris dolor metum potentis Chrysogoni vinceret. Factum est enim decurionum decretum, ut publice apud L. Sullam de Rosciorum malefactis conquererentur. „Etenim, ait Cicero, multa simul ante oculos versabantur, mors hominis florentissimi Sex. Rosci crudelissima, filii autem eius egestas turpissima.... bonorum emptio flagitiosa, possessio, furta, rapinae, donationes. Nemo erat qui non ardere omnia mallet quam videre in Sex. Rosci viri optimi atque honestissimi bonis iactantem se ac dominantem T. Roscium." In his quid sit „malle omnia *ardere*" explicatu difficile est. Sed nihil expedit ingenii acumine abuti in interpretandis verbis manifeste foedo errore depravatis. Nimirum scripsit Cicero „nemo erat, qui non aUdere omnia mallet." Emendatio adeo certa est, ut mirarer, si nulli ante me in mentem venisset. Atqui quaerenti mox hercle mihi apparuit iam multis annis ante Schellerum idem coniecisse. Cum vero editores codicum lectioni vitiosae certissimam correctionem posthabere pergant, melius de Cicerone agi iudicabam vulgando hanc emendationem, quamvis iam ab alio occupatam, quam eam supprimendo propterea quod alius ante me mea dixisset. [1])

IX.— Livius (II, 9) tradit ob metum periculi a Porsenna imminentis patres plebem beneficiis sibi devinxisse, cum annonae cura habita tum onera plebis levando. Nam et pauperibus vacatio data est portoriorum tributique, et „salis vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat...... ademptum privatis," scilicet ut plebs sale uteretur viliore. Hoc autem sine damno aerarii fieri non poterat. Quod et Livium aperte dixisse consentaneum est, sed ea verba quibus id memoravit, non integra ad nos pervenerunt. Codices et editiones habent: „in publicum omni sumptu ademptum privatis." Hoc obscurum et varie tentatum. Livius scripsisse videtur: „in publicum ONUS ademptum privatis." Mendum autem antiquum ortum esse potest ex eo quod olim librarius litterarum ductibus perperam lectis, quasi scriptum esset OMIS, extremam litteram pro siglo vocis „sumptus" acceperit perscripseritque „omni sumptu."

X.— Tac. Ann. 1, 32 in enarratione legionum Germanicarum seditionis, quae fuit post mortem Augusti, legimus maxime in centuriones saevitum esse. „Prostratos verberibus mulcant sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent; tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiiciunt." Infandum facinus, sed minime incredibile, ut commissum a multitudine irata, odio exagitata, atque ut fit levissimi cuiusque sollicitationibus tamquam in insaniam et furorem adacta. Sed hoc fide maius, quod in tanto tumultu milites, ubi „repente lymphati in centuriones invaserunt", momento temporis summa disciplina militari in aequas partes se divisisse dicuntur, ita ut ***singuli*** centuriones a ***sexagenis***

1) Merguet, ***Lexikon zu den Reden des Cicero mit Angabe sämmtlicher Stellen*** locum nostrum laudat ut unicum exemplum verbi ***ardendi*** transitivi vice fungentis. Sed quem sensum transitivum ***ardere*** habeat, addere supersedit. Tantum Ciceronis verba ex nescio cuius suspicione ita supplevit ut essent »ardere *illa* omnia."

militibus vapularent. Tum quae est verberatio, in qua homines sexaginta unum verberibus mulcent? Omnes enim simul eum contingere non possunt; per vices igitur aliis alios successisse putandum est, quae res cum quietem tum aliquam imperii formam, denique ordinatos et parentes milites postulat. At multitudo incomposita saeviebat. Deinde vide ne contra naturam sit et rei et animorum militarium haec cogitatio: vos sexaginta estis, saepe virgis nos cecidistis, nunc vero vobis sexageni singulis ista verbera rependemus. Multo verisimilius aliam vocem fuisse auditam: „sexaginta sunt, sexagenis singuli mulcantor", itaque factum esse. Qua re restitue Tacito, quae scripsit: *prostratos verberibus mulcant sexageniS singulos.*

XI.— In Verg. Aen. 2, 254—259 constructio sententiarum claudicat. Medicina iam ab aliis tentata, sed quoad scio vitium non est sublatum. Mendum inesse suspicor in versu 256, ubi si pro *cum* posueris *iam*, omnia rectissime procedent:

et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
a Tenedo tacitae per amica silentia lunae
littora nota petens, flammas **iam** regia puppis
extulerat: fatisque deum defensus iniquis
inclusos utero Danaos et pinea furtim
laxat claustra Sinon.

Parataxis loco hypotaxeos a poëta adhibita neque a librariis intellecta corruptelae ansam dedit. Eiusdem constructionis en exempla pauca. Verg. Aen. 3, 356 *iam*que dies alterque dies processit *et* aurae | vela vocant. Curt. 4, 12, 23 *iam*que nitidior lux discussa caligine aciem hostium ostenderat *et* Macedones sive alacritate sive taedio exspectationis ingentem pugnantium more edidere clamorem.

---

4. Observationes grammaticae.

1. ĒST.

NEUE diligentissimus ille compilator, qui quasi Digesta et Indices Morphologiae Latinae duobus voluminibus satis grandibus composuit, vol. II, p. 603 omnes locos enumerat, ubi in veterum scriptis inveniuntur *ēst, ēs, ēstis,* aliaque huiusmodi, quae a verbo *edendi* secundum id schema derivantur, quod hodie „coniugationem sine vocali coniunctiva" appellare moris est. Melius etiam meritus esset de grammaticae Latinae studiosis, si etiam curiose addidisset quibus locis *ēdit, ēdē, ēditis,* sim. occurrant; tum enim liceret persequi qua via hae formae recentiores et si vere dicas subbarbarae sensim in usum venerint ut ad postremum illas iustas et geminas supplantarent. Nam Plauti aetate tantum *ēdo, ēs, ēst* etc. modo indicativo dicebant, *edim, edis, edit* etc. pro eius coniunctivo habebant. [1]) Sed ut ad

1) Vid. Brix ad Plauti Mil. Glor. 1, 1, 24.

illam locorum enumerationem redeam, forma *ēst* inest in loco Ciceroniano, ubi vulgo non creditur inesse. In fine orationis eius quam in Catilinam habuit primam, Cicero sic loquitur (13, 31): „ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur, sic hic morbus, qui est in re publica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis ingravescet". Comparatio ex una parte languet. Nam cum reipublicae *morbus* recte opponitur *morbo* aegrotantis, τῷ *aquam gelidam bibisse* apte respondet *poena* Catilinae, nec non uterque morbus merito rursus *ingravescere* dicitur: *aestus febrisque* hominis aegri sua caret antapodosi, nam illud „qui est in r. p." sine nervis et elumbe. Sine dubio scripsit Cicero: „sic hic morbus, qui *est rem publicam*..... ingravescet".

2. PECUA.

Ut supra Ciceroni formam veterem restituimus, ita haec vetus forma perperam in Ciceronianis habita rescindenda est. Neutrum *pecu* semel apud Ciceronem legitur: pro lege Manilia 6, 15. Verum ubi locum mecum consideraris, mihi assentieris, opinor, censenti vocabulum *pecua* (neutr. pl.) genuinum esse non posse. Exponit orator non solum bellum ipsum sed etiam metum belli calamitosum esse. Nam cum hostium copiae non longe absunt, „etiam si irruptio nulla facta est, tamen pecua relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit". Agriculturam tunc deseri intellego, metuunt enim aratores ne quas ipsi severint fruges hostes percipiant neque tuti sunt in agris. Navigationem et mercaturam intermitti consentaneum est. Sed hoc non video, cur pastores pecora relinquerent. In tali tempore campis cedunt, in oppida confugiunt cum pecoribus. Quae relinquuntur sunt PASCVA, non PECVA.

3. CUPERE ALICUIUS.

KÜHNER, *Ausführl. Grammatik der Lat. Sprache* II, p. 346 aliquot profert exempla casus genitivi quem regant verba cupiendi et studendi. Ea constructio in communi Indogermanorum lingua originem habet, ut quae in syntaxi Sanscritica Graeca Teutonica aut vivat aut vestigia manifesta retinuerit. In lingua Latina mature obsolevit. In comoediis Terentii deest. Vel apud Plautum raro invenitur. Sed uno quidem plura exstant exempla quam cognita sunt. In Milite Glorioso Palaestrio servus Periplecomeno seni praecipit, ut mulierem quandam cum ancilla paret ad decipiendum militem erum suum, mulierum amatorem maximum. Ubi senex habere se dixit eiusmodi adolescentulas quales opus sunt, inter utrumque convenit qua ratione fraus fiat militi (vss. 795—798), ut una ex mulieribus scilicet Periplecomeni uxorem esse se simulet et deperire militem, altera, quasi ancilla eius sit anulumque ab era sua acceperit quem det militi per Palaestrionem. Palaestrio sibi reliqua curae fore promittit: anulum enim, inquit,

a tuá mi uxore dícam delatum ét datum (vs. 800)
út sese ad eum cónciliarem. Ille eius modi est cupiet miser.

Brix ad versum 801 haec annotat: „eius modi est mss., als Parenthese gefasst von Madvig Advers. crit. II, p. 10, *eius domi* Ritschl." Quamquam Madvigius l. l. Ritschelii infelicem coniecturam *domi* optimo iure reiicit, non tamen mihi persuasit codicum lectionem veram esse. Nam obsecro, quid sibi vult illud: „ille cupiet miser" non addito cupiditatis obiecto. Sensus ipse flagitat ut addatur a Palaestrione, et cuius amore corripiatur miles et eum extemplo flagraturum esse. Utrumque addidit Plautus, si modo codicum errorem corrigimus. Quae correctio et facilis et ni fallor perspicua est. Dicit Palaestrio

ille eius **modo** cupiet miser,

i. e. ilico eam cupiet. Genitivi usus antiquus, *mōdō* autem de re mox futura etiam classicis usurpare licet. Ex Terentio comparetur Andr. 3, 4, 15 *domum modo ibo*.

4. Nominativus praedicativus.

Horatii carminis 14[i] libri primi cum versum undecimum et sequentes vulgo sic legerent:

quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis,
iactes et genus et nomen inutile:
nil pictis timidus navita puppibus
fidit,

Peerlkampius demonstravit aliter interpungendum esse; ipsum enim sensum poscere ut scripserit Horatius

quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis
iactes: et genus et nomen inutile.
Nil pictis etc.

neque grammaticam obstare, Latine enim *Pontica pinus iactas* pro „Ponticam te pinum iactas" dici posse, a poëta praesertim. Atque aliud affert exemplum talis nominativi Tac. Hist. 4, 55: „ipse e maioribus *hostis p. R. quam socius iactabat*", i. e. gloriabatur hostem magis se quam socium p. R. habendum esse. Hunc autem Taciti locum qui restituit — nam corruptus fuerat — Lipsius id genus dicendi aliquot exemplis illustravit. Neque profecto inauditi sunt eiusmodi nominativi praedicativi apud poëtas. Duo notissima exempla in grammatica mea adscripsi. [1]) Si plura etiam desideras, adeas libellum viri doct. J. Schäfler, *die sogenannten Syntactischen Graecismen bei den August. Dichtern*, p. 88.

Sed haec licentia latius etiam patet. Est enim genus quoddam periphrasticae locutionis, quam tralaticia grammatica nulla certa designavit appellatione, quae constat ex verbo transitivo et pronominis reflexivi accusativo, cuius haec est proprietas, ut cum duo sint unum significent, veluti *se movere, se inferre,*

1) Vid. *Syntaxis* mea ed. alt. § 630, Obs. 2.

se ostendere. Eodem enim spectant, quo id genus verbi quod medium appellari solet, forma passiva significatione ac vi activa, ut *moveor = moveo me, exerceor = exerceo me*. Hinc sequitur, ut illa *infero me, ostendo me* sim. idem valeant atque simplicia *incedo, appareo*. Per analogiam, ut aiunt, nominativus ille qui optimo iure additur verbis *incedendi* vel *apparendi*, quo ipsa illustretur actio — velut Horat. Sat. 1, 6, 111 *quacumque libido est, incedo solus*, eiusd. C. 2, 10, 21 *rebus angustis animosus atque fortis appare* — etiam adiungitur, vel si mavis, se adiungit illis periphrasticis quas memoravi. En pauca exempla.

1. Verg. Aen. 3, 310

verane te facies, verus mihi nuntius affers

i. e. verane facies, verus nuntius mihi appares, advenisti, ἥκεις. Operae pretium est hic Servianas notas comparare. In talibus grammatici consternari solent, cum praesertim metrum quicquam mutari vetet.

2. Verg. Aen. 5, 370 sqq. de Darete dicitur

solus qui Paridem solitus contendere contra
idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
victorem Buten immani corpore, *qui se*
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
perculit et fulva moribundum extendit harena.

Hoc enim vult poëta Buten gloriatum esse de origine sua. Errant, qui „veniens" de itinere accipiunt, quod et durum est et minus aptum. Βέβρυξ nimirum ηὔχετο εἶναι.

3. Verg. Aen. 2,388 Coroebus Troianos exhortatur:

o socii, qua prima, inquit, Fortuna salutis
monstrat iter, *quaque ostendit se dextra*, sequamur

i. e. quaque videtur dextra, qua Fortuna videtur dextra esse. Falluntur enim, qui ambobus verbis *Fortuna dextra* subiectum contineri pudent. Duae sunt sententiae, prior *qua Fortuna monstrat iter salutis*, altera *qua ostendit se dextra* i. e. *qua apparet* (*videtur*) *dextra*.

4. Hor. Sat. 1, 6, 68 sqq.

si neque avaritiam neque sordes nec mala lustra
obiiciet vere quisquam mihi, purus et insons [,]
ut me collaudem, si et vivo carus amicis,
causa fuit pater his.

Vulgo haec sic interpretantur: si nemo mihi avaritiam aliave vitia maiora vere obiiciet, [si] — ut me collaudem [alioquin minime gloriator] — purus [sum] et insons, si et vivo carus amicis, causa fuit pater his. Quae explicatio cum nimis multa mente supplet, tum habet tautologiam, nam duae tantum tribus protasesi continentur sententiae, quod purus homo et insons is adeo est, qui maioribus illis vitiis caret. Quanto melius, si in hunc modum Horatium locutum statuas: si nemo maiora vitia vere mihi obiiciet ita ut *purum et insontem me praedicem*, tum si vivo carus amicis, causa his fuit pater.

Ita igitur interpungendum ut L. Müllerum video fecisse: *purus et insons ut me collaudem.*

Haec quae laudavi nescio quid miri et a tralaticia grammatica habere videntur alieni. Sed rem acrius intuenti nulla erit differentia a tritis et communibus, qualia Aen. 10, 768 *talis se* vastis *infert* Mezentius armis, ibid. 11, 742 moriturus et ipse..... *se turbidus infert*, Lucanus 2, 399 mons inter geminas *medius se porrigit* undas | inferni superique maris. Poterat Vergilius scribere *talem* — ut fecit e. g. Aen. 1, 503 — et *turbidum* si per metrum liceret, similiter Lucanus *medium*; sed uterque nominativum praetulit.

His locis adiungam Lucan. 1, 427:

> Arvernique ausi Latio se fingere fratres
> sanguine ab Iliaco populi,

ubi ambiguum est utrum accipiendum sit *populi* ut gen. sing. an nom. plur. Utraque interpretatio suam habet difficultatem. Nam si *populi* gen. est, pro *Latio* malis *Latii*, sin nominativus, singularem numerum. Sed nominativum, quamvis plur. numeri, confirmat locus quidam laudatus ab Heinsio. Sidonius enim Apollinaris in Epist. VII, 7 manifeste hunc Lucani locum, de quo agimus, spectans haec scripsit: „Arvernorum, proh dolor! servitus, qui (si prisca replicarentur) audebant se quondam fratres Latio dicere et sanguine ab Iliaco populos computare".

Videntur autem in talibus nominativi nonnusquam a grammaticis in accusativos perperam esse mutati, nimirum ubi salvo metro liceret. Edam pauca exempla e Vergilianis. Aen. 2, 589 sq. sic leguntur

> cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
> obtulit et pura per noctem in luce refulsit
> alma parens.

At concinnitas orationis flagitat, ut poëta scripserit

> cum mihi se, *non ante oculis tam clara videnda*,
> obtulit etc.

i. e. cum mater, quam numquam ante tam claram videre licebat (vel poteram) mihi apparuit. Eodem pacto verisimile est Aen. 2, 59 accus. grammaticis deberi:

> ecce manus iuvenem interea post terga revinctum
> pastores magno ad regem clamore trahebant
> Dardanidae, qui se *ignotum* venientibus ultro
> . . . .
> obtulerat.

Latinum enim est hoc loco: se *ignotus* obtulerat; non enim Graecum habitum et cultum simulabat. *Ignotum* tum denique recte positum esset, si simulando effecisset Sino, ut Troiani quis esset ignorarent, cum aliter eum probe nossent.
